

## CWRU Department of Music Sample Latin Exam

### Part 1.

Discantus est aliquorum diuersorum cantuum consonancia in qua illi diuersi cantus per voces. longas. et breues. et semibreues. proporcionaliter adequantur. et in scripto per debitas figuras. proporcionati adinuicem designantur. Discantus dividitur tripliciter sic. alias simpliciter prolatus. alias copulatus. alias truncatus. et de hijs per ordinem est dicendum. Set quia quilibet discantus per modos procedit. idcirco primo de modo et consequenter de eorum signis scilicet de figuris est tractandum Modus est representacio soni. longis. breuibus. que. temporibus mensurati. Modi autem a diversis diversimode enumerantur et eciam ordinantur Quidam vero ponunt sex alij septem nos autem quinque tantum ponimus. quia ad hos quinque omnes alij reducuntur. Primus enim procedit ex omnibus longis. et sub isto ponimus illum qui est ex longa. et breui. et longa. et hoc duabus. de causis. Prima causa est quia isti duo in similibus pausacionibus uniuntur Secunda est propter antiquorum et aliorum modernorum contraversiam compescendam. Secundus procedit ex breui et longa. et breui Tercius vero ex longa et duabus brevibus. et longa Quartus est ex duabus breuibus. et longa. et duabus breuibus. Quintus autem ex omnibus breuibus et semibreuibus

## **Part 2.**

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae sua, et veritatis sua domui Israel. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra; cantate et exsultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara; in cithara et voce psalmi;

in tubis ductilibus, et voce tubae corneae. Jubilate in conspectu regis Domini;

moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt

a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terrarum in justitia,  
et populos in aequitate.